



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

170. Parabola vigesima prima, Filij prodigi.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)



II. Et cùm invenerit, convocat amicas & vicinas, dicens: Congratulamini mihi, quia inveni drachmam, quam perdideram. *Luc. 15. v. 9.*

III. Ita dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei, super uno peccatore poenitentiam agente. *Luc. 15. v. 10.*

## MEDITATIO CLXX.

### *Parabola XXI. Filij prodigi.*

I. **H**omo quidam habuit duos filios: & dixit adolescentior ex illis patri: Pater, da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit. Et divisit illis substantiam, *Luc. 15. vers. 11. & 12.*

II. Et non post multos dies, congregatis omnibus, adolescentior filius peregre profectus est in regionem longinquam: & ibi dissipavit substantiam suam vivendo luxuriose. *Luc. 15. v. 13.*

III. Et postquam omnia consummâisset, facta est fames valida in regione illa, & ipse cœpit egere. Et abiit, & adhæsit uni civium regionis illius. Et misit illum in villam suam, ut pasceret porcos. Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci man-



138 PARABOLÆ  
manducabant: & nemo illi dabat. *Luc. 15.*  
*Vers. 14. 15. 16.*

## MEDITATIO CLXXI.

*Miser in se revertitur, agit poenitentiam, & à patre denuo recipitur.*

I. **I**N se autem reversus, dixit: Quanti mercenarij patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo! Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccavi in cælum, & coram te: jam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut unum de mercenarijs tuis. *Luc. 15. & 17. 18. 19.*

II. Et surgens venit ad patrem suum. Cum autem adhuc longè esset, vidit illum pater ipsius, & misericordiâ motus est, & accurrens cecidit super collum ejus, & osculatus est eum. Dixitque ei filius: Pater, peccavi in cælum & coram te: jam non sum dignus vocari filius tuus. *Luc. 15. Vers. 20. & 21.*

III. Dixit autem pater ad servos suos: Citò proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manum ejus, & calceamenta in pedes ejus: & adducite vitulum saginatum, & occidite, & manducemus.